



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XVII. Quotuplex sit Co[n]fessio, quae sit Presbyteris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

num penitus & ex animo totā iniuriā remiserit (quod concepti odij malum altas habeat radices) adeundus ipsi præterea est Sacerdos, à quo, tanq̄ ab ipso Christo, verbū Absolutionis & certissimæ consolationis accipiat.

Breuitè, ministeriū quod exhibet Sacerdos, est ministerium Christi. Quod exhibet frater, est ministeriū charitatis, & humilitatis, cuius typū videre est apud Mattheū c. 9.

Estne Confessio fraterna de numero septem Sacramentorum?

*Quæstio
XVI.*

Quamuis fraterna Confessio maximi, vti dictū est, momenti fit; non est tamen de numero illorum Sacramentorum, quorum Ecclesia septē numerauit: Nam illa talia esse oportet, vt signa sint visibilia, & inuisibilis gratiæ DEI, quam DEVS per ea, cum in Ecclesia publicè administrantur, in non indignè recipientibus certò operatur, eius gratiæ similitudinem extrinsecus gerentia, quæ omnia in hac Confessione fraterna, & priuata, propriè reperire non est. Vnde cum clauium potestate confundi non debet; sed magis ad Poenitiæ Sacramentum præparatoria & præambula est.

Responsio

Quot duplex est Confessio, quæ fit Presbyteris?

*Quæstio
XVII.*

Confessio quæ fit Ecclesie Presbyteris, hoc est, Episcopis, & Sacerdotibus, quibus à

Responsio

D 6 Christo

Caput II. De Definitione

Christo facta est remittendorū, & retinendorum peccatorū potestas, in vsu veteris Ecclesiæ multiplex fuit. Vna publica, altera secreta: Rursū publica duplex, quædam coacta quædam verò voluntaria.

Questio Quenam publica Confessio fit voluntariè Sacerdoti?
XVIII.

Respsio. **V**T huius questionis explicatio dilucidior fiat, in primis nosse oportet, veterem Ecclesiā admodū seueram fuisse in criminibus publicis vindicandis: tum, ne Ecclesia ob quosdā manifestarios delinquentes, malè audiret inter gentes, quemadmodū in Epistola ad Romanos scribitur: Nomē DEI per vos blasphematur inter gentes: tum, ne contagio totum gregē inficeret, neue res pessimi exempli infirmioribus offendiculo foret, quod Christus vt diligentissimè caueretur iussit. Deniq; vt alij admoniti, cauerent, ne laberentur, vtq; animus ipsorū, qui ad Ecclesiā redibāt, exploraretur; an scilicet seridè respicerēt.

1. Cor. 5.
Matth. 5.
Rom. 2.
1. Tim. 5.
2. Cor. 2.
& 7.

Olim ergo his, qui in criminibus publicis essent deprehensi, publicè erat confitendum, hoc est, crimen erat apud Pastore & Ecclesiā agnoscendū, & petenda ab Episcopis seu Pastoribus publicæ Pœnitentiæ concessio.

Hæc Cōfessio cū fiebat voluntariè nimirū criminosis seipsos apud Ecclesiæ Præsides, sponte prodeuntibus, deferentibus ac publicantibus longè gratior erat, & venia dignior, quàm coacta. Ad